

de iure, quam de facto. De iure indagant quid de lege, eiusque intelligentia sentiat; de facto, quam sententia ferenda sit in hanc mulierem.

17. Hoc autem dicebant tentantes eum. Non descendi studio sed tentandi causa quaestionem interponunt; ut possent eum accusare. Scribae, & Pharisaei, peruersi, & iniqui iudices, studium, quod applicare tenebantur ad veritatem indagandam, transferunt ad laqueos redendos. In eo eorum voluntas iucundatur, quod accusationis occasione eum possint obseruare, & culpas mulieris deferat, iniqui iudicis animus in delatis culpis exulet, & oblectetur. Iesus autem inclinans se deorsum, ut ab ipsis dolosis accusatoribus multum auerteret, ac declinaret; Digito scribebat in terra; ut hoc diuerso facto ostenderet se eis nolle respondere; ac tanquam si eis diceret; Quid ad me desertis accusantes? adulteram, cum ego non venerim, ut peccatorum damnator, sed ut eorum medicus, ac saluator: vt exponunt D. Augustinus, Euthym. D. Thomas, D. Bonau. Iansenius, & alij: vnde notat Cornelius à Lapide, quod aliqui codices Graeci addunt. Non sibi attrahens, id est non sibi tale munus vsurpans, sed auertens se ab eis, & eorum accusatione. Toletus, & alij transferunt. Non fingens. Se scribere, sed reuera scribebat in terra. Vox Graeca vtrumque significat, & huic loco congrue adaptari potest.

QUESTIO III.

Quomodo tentantes querunt Scribae, & Pharisaei à Christo, quid circa adulteram dicat?

18. RESPONDET primò D. Bernard. serm. 13. de Annuntiat. Inuauis, ait, & mitis est Christus, & copiose misericordiae, credens inimicis, qui in eo nihil aliud inuenerunt, vnde occasionem fruenda calumnie caperent. Copiosius autem, peccatrici, neque sibi oblatam occidi patitur, senebitur itaque, manifestus aduersarius legis, cum absoluerit lege damnatam. Tam nota, & manifesta erat Christi ingens pietas, & misericordia, vt eius aduersarij apud se statuerint, quod in nullo alio possent calumniae occasione ductus eum venari, nisi in sua multa misericordia qua absoluta peccatrice adultera, eum de lege violata arguant.

19. Pro cuius confirmatione praclare ait D. Augustinus tract. 33. in Ioan. statim in hac quaestione largè referendus. Animaduertent eum, inquit, Pharisaei nimium esse mitem, nimium esse mansuetum. Adducunt Pharisaei mulierem ad Christum, quia eum reputant esse nimium mitem, & mansuetum, vt inde accusationem de transgressione legis caperent, quo modo in Christo potuit aliquis excessus inueniri; virtus in mediocritate consistit; vnde si moralis nimia sit, in vitium prolabitur, & quantum mediocritatem excedit, tantum à rectae virtutis ratione recedit; in Christo Domino omnia summe perfecta, in eoque nec leuis vitij umbra nunquam inuestigabilis extitit. Tamen si quid minimum in illo humana ratio mendose excogitare valuit, ex sua multa pietate occasio desumpta est, tam enim larga, & superabundans est, vt omnes terminos, omnemque metas videatur excedere, & transcendere iuxta nostrum caput, tantaque in-

dulgentia reos absoluit, eisque veniam largitur. Dilant humani iudices, vt in suis sententis ferendis, potius de excessu pietatis, quam de rigore iustitiae fugillantur.

Secundò D. Ambrosius lib. 7. Epistol. 8. Obtrulerunt, ait, mulierem Saluatori, captantes, vt si absolueret eam videretur legem soluere; si damnaret, videretur aduersus finem venisse propositi sui; finis autem propositi Christi erat, peccata hominibus remittere, vt ipse Ambrosius explicat lib. 9. Epistol. 76. Oblata adultera volunt explorare, an Christus dimittendo legem solueret, an condemnando à proposito finis sui discederet; tam damnabilis est mutabilitas in re iusta, & sancta, vt quodammodo aqua nota videatur in vitro magno legem violare, ac à proposito suo, reque concepta resiliere, ex vtroque enim maxime nobilis animus deuenustatur.

Tertiò Toletus ait, quòd superiori cap. 7. n. 21. audierunt Pharisaei, & Scribae Christum Dominum legem sabbati declarantem, nouamque doctrinam, quantum eis videbatur proferentem, quod scilicet licebat in sabbato curare: indeque autumarunt aliquid noui in hoc casu, vbi de vita adultera agebatur, dicturum, & docturum, ex quo arripent ad ipsum arguendum, ac accusandum mortuum.

Quartò D. Augustinus tract. 33. in Ioan. Animaduertent, ait, Pharisaei cum nimium esse mitem, nimium esse mansuetum: de illo quippe fuerat antea praedictum. Accingere gladio tuo circa femur tuum potentissime. Specia tua, & pulchritudine tua, intende prospere, procede, & regna propter veritatem, & mansuetudinem. Psal. 44. num. 4. Ergo attulit veritatem vt doctor, mansuetudinem vt liberator, iustitiam vt cognitor. Cum loqueretur veritas agnoscebatur: cum aduersus inimicos non moueretur, mansuetudo laudabatur. Cum ergo de duobus istis, id est de veritate, & mansuetudine eius inimici liuore, & inuidia torquebantur: in iustitia scandalum posuerunt. Quare? Quia lex iusserat adulteros lapidari: dixerunt ergo offeramus ei mulierem in adulterio deprehensam, dicamus quid de illa in lege praecipit sit. Si eam iusserit lapidari mansuetudinem non habebit: Si eam dimitti censuerit, iustitiam non tenebit. Vt autem mansuetudinem, inquit, non perdat, in qua iam populis amabilis factus est, sine dubio, eam dimitti dicturus est. Haec D. Augustinus. Idem docent D. Thomas, Albertus Magnus, D. Bonauent. Carthusian. Hugo, & alij. Cum Pharisaei accederent Christum tentantes, videbatur quod potius debebant legem tacere, quam illam ei proponere, vt si forte aliquid diceret contra legem, inde validius eum arguere possent; tamen legem ei proponunt, quod ipse ne opinionem clementiae, & pietatis, quam apud populum sibi conciliauerat, deperderet, pro muliere absoluenta eum sententiam esse laturum, indeque vehementius eum arguerent, si quidem lege proposita ipsam contempserit, & mulierem absoluit. Vt autem mansuetudinem, inquit, non perdat, in qua iam populis amabilis factus est, sine dubio eam dimitti dicturus est.

Postquam Daniel explicauit Nabuchodonosori somnium visionis statuae, in qua quatuor imperia de notabantur; aliam suam totam auream crexit. Et praeco clamabas valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis. Cadentes adorare statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor Rex.

QUESTIO IV.

Quare accusantibus Scribis mulierem, Iesus inclinatur se deorsum?

25. IN limine huius quaestionis notandum est, quod cum in praesenti Scribae, & Pharisaei Dominum tentantes adducerent hanc adulteram. Iesus autem inclinans se deorsum scribebat in terra. At verò cum iudem Pharisaei Dominum etiam tentantes obtulerint ei hominem habentem manum aridam, & quarentes an liceat sabbatis curare? Scribit Marcus 3. num. 5. Circumspiciens eos cum ira contristatus est super malitiam eorum. In vtroque casu sublater dolosa intentio in Pharisaeis, & tamen in sabbati obseruatores iratos Dominus mittit oculos, ab accusatoribus verò adultera misericordiam distillates conuertit in terram, vnde huius rei tanta diuersitas? Notat Ioannes hoc cap. 8. num. 20. Haec locutus est Iesus in Gazophylacio. Apud quod res Adultera agebatur, ex quo huius rei rationem depromptit D. Ambrosius Epistol. 76. Hoc adultera iudicium, ait, in templo Dei posuit exercet, sicut scriptum est infra: Haec verba locutus est Iesus in Gazophylacio docens in templo. Quid est Gazophylacium? Collatio fidelium, sumptus pauperum, requies egenorum. Stabat Iesus iuxta pietatis, ac misericordiae pauperum aetarium, inde Iesus tam clemens, & propitius se exhibet, vt non solum peccata mulieris dissimulet, sed etiam eximiam benignitatem in eius accusatores manifestet, & ostendet.

Ad quaestionem respondet primò D. Chrysologus 115. Auertit faciem suam Deum, & inclinatur in terram, ne crimen cerneret, quod puniret. Accusatur mulier, inclinatur se Iesus in terram, semper benignus Dominus ab omni puniendi, ac iudicandi occasione se se praescindit, & ipsa corporis inflexione abscondit faciem suam, quasi erubuerit, quod iudex ad puniendum eligeretur, qui totus venerat ad omnem indulgentiam spirandam. Hinc cum mulier accusatur faciem suam vertit Iesus ad terram, quam erigit, cum mulier sit absoluenta, & dimittenda. Infra num. 11. quòd notat D. Ambrosius Epistol. 52. Vide, ait, diuina mysteria, & clementiam Christi, cum accusatur mulier, caput Christus inclinatur; eleuatur, vbi deficit accusator, ita nullum damnari vult, absoluit omnes. Nota, cum accusatur mulier, inclinatur caput; vt lutum videns, & considerans de lutea fragilitate affectum pietatis erga miseram mulierem eliciat.

Secundò. Accusatur mulier vt deprehensa in adulterio, inclinatur Iesus faciem in terram, ne in illa excitata lite, in qua accusatio proferebatur, & pars erat audienda, iudex existeret; ab huiusmodi litibus iudicandis semper abhorruit Dominus, cum duo litigantes ad eum tanquam iudicem contingerent, dixit. Quis me constituit iudicem super vos. Luc. 12. n. 14. ibi D. Ambrosius. Nec iudex, ait, esse dignatur litium, & arbiter facultatum. De lege gratiae vaticinatur Isaias 2. num. 4. Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, nec exercentur ultra ad praelium. Cardinalis Hugo. Prophetia est, ait, de destructione litium, & causarum aduocatorum, & legislatorum, qui non querunt nisi lites, & bella. Pincus. Per gladios, & lanceas intelligit hominum membra, sensus, ac etiam

Daniel. 2.

Daniel. 2.

Maldon. Cornel.

Homo pro tuenda sua fama nullum facinus refugit.

24.

2. Reg. 16.

Lyran. Abulens. Carthuf. Caietan.

Violatur iustitia ne violetur auctoritas regis.

Abulens.

20. Ambros.

Mutabilitas notata in nomine.

21. Tolet.

Doctrina noua aliquando suspecta indicatur.

22. August.

Psal. 44.

D. Thom. Alb. Magnus Bonauent. Carthuf. Hugo. Homo conseruationis suae fama valde auidus.

23.

